Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31633
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

fortius egerit ad diuine spei munimen fugiens, solidius u i u a t.

Explicit liber uicesimus tertius. Incipit .xxiiii.

H E L I V G I O

S V P E R I O R I S D I S

pensationis insinuans, de electi uniuscuiusque percussione intulit dicens: Appropinquauit corruptioni anima eius, et uita illius mortiferis. Et dum temptatum hominem demonstrat unum, in qua temptatione sit positum humanum genus ostendit uniuersum. Dum quippe narrat quid specialiter agatur in singulis, liquido innuit quod generaliter agatur in cunctis. Sic enim temptationem exprimit quorumdam proprie singulorum, ut possit intelligi uniuersaliter omnium. Cunctum quippe proprie electorum genus in hac uita huius tedio laboris afficitur. Unde et mox huic generali pestilentie, generale subintulit remedium medicine, dicens: Si fuerit pro eo angelus locutus unum de similibus, ut annuntiet hominis equitatem, miserebitur eius. Quis enim iste est angelus, nisi ille qui per prophetam dicitur magni consilii angelus? Quia enim greca lingua euangelizare denuntiare dicitur, semetipsum annuntians dominus angelus uocatur. Et bene ait si fuerit angelus pro eo loquens, quia sicut ait apostolus etiam interpellat pro nobis. Sed quid pro nobis loquatur audiamus. Unum de similibus. Mos medicinę est, ut aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam sepe calida cali— tur —dis, frigida frigidis, sepe autem frigi— da calidis, calida frigidis sanare consueuit. Ueniens ergo ad nos desuper medicus noster, tantis quippe nos inueniens languoribus pressos, quoddam nobis simile, et quoddam nobis contrarium apposuit. Ad homines quippe homo uenit, sed ad peccatores iustus. Concordauit nobis ueritate nature, sed discrepauit a nobis in rigore iustitie. Uitiosus enim homo corrigi non poterat, nisi per deum. Uideri autem debuit qui corrigebat, ut prebendo imitationis formam, ante actę malitię mutaret uitam. Sed uideri ab homine non poterat deus. Homo ergo factus est, ut uideri potuisset. Iustus ergo atque inuisibilis deus apparuit nobis similis homo uisibilis, ut dum uideretur ex simili curaret ex iusto, dum ueritate generis concordat conditio[ni nostrae], uirtute artis obuiaret egritudini. Quia ergo ueniens in carne dominus non culpam nostram ex uitio, non penam ex necessitate suscepit, nulla enim labe peccati pollutus, reatus nostri teneri conditione non potuit, atque ideo mortem nostram omni necessitate calcata cum uoluit sponte suscepit, recte dicitur ut pro temptato homine iste angelus unum de similibus loquatur, quia nec ita natus ut reliqui, nec ita mortuus, nec ita resuscitatus. Non enim operante coitu, sed spiritu superueniente conceptus est. Natus autem, matrina uiscera et fecunda exhibuit, et incorrupta seruauit. Rursum nos omnes cum nolumus morimur, quia ad soluendum pene debitum culpe nostre conditione coartamur. Ille autem quia nulli admixtus est culpe, nulli ex necessitate succubuit pene. Sed quia culpam nostram dominando subdidit, penam nostram moriendo suscepit, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Qui etiam premisit: Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso. Rursum non ut reliqui suscitatus est, quia nostra resurrectio in fine seculi dilata est, illius uero die tertia celebrata. Et nos quidem per illum resurgimus, nam ipse per se. Neque enim quia deus